lectrum in ea, quam retulimus inſula: cum verò ab incolis ad proximū deferatur continentem, inde ad noſtra vſque apportatur loca. Hæc ille.

Herodotus lib. 3. in Thalia ſic inquit: De extremis autē Europæ, quod pro comperto referā non habeo. neque enim aſſentior fluuium quendā eſſe Eridanum à barbaris vocitatum, qui ſubeat mare ad Septentrionē ſpectans, vnde electrum venire narratur.

Hæc etſi veteres tum Poëtæ tum hiſtorici, tanquam fabulas lepidas propoſuerunt, tamen nihil aliud ſignificare voluerunt, quàm ſuccinum eſſe lachrymā populi arboris, cum Nymphas deflentes Phaëthontis mortem, in populos verſas dicerent.

Hanc veterum ſententiam non vanis rationibus munitam, etſi non facilè impugnauerim: diuerſam tamen ab iſta recitabo, liberum cuiq; conceſſurus iudicium, vt quiuis ipſe, qúænam veritati magis conformis ſit, ponde-